

SYNOPSIS
PIRHINGIANA
SEU
COMPENDIARIA
SS. CANONUM
DOCTRINA,

EX

FUSIORIBUS QVINQUE TOMIS

R. P. ERNRIPI PIRHING.

SOCIETATIS JESU, SS. CANONUM IN

Catholica Episcopali Academia Dilingana

Professoris emeriti

IN UNUM VOLUMEN REDACTA

AB ALIO EIUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERO;

HAC SECUNDA EDITIONE,

Sublatis non paucis mendis, magnâ curâ emendata, illu-
strata, &, tum alijs additamentis, tum novo rerum
Indice aucta.

*Cum Gratia & Privilegio Sacrae Caesaricae Maiestatis,
Et facultate Superiorum.*



AUGUSTÆ Vindellicorum & DILINGÆ

Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD, Bibliopolam.

✕

ANNO M. DC. LXX.



REVERENDISSIMO
 ATQUE
 AMPLISSIMO DOMINO,
 DOMINO

SYMPERTO,

Monasterij Neresheimiensis Con-
 gregationis Augustano-Benedi-
 ctinæ

ABBATI & VISITATORI
 Vigilantissimo &c.

DOMINO MEO GRATIOSO.

REVERENDISSIME ET AMPLISSIME
 PRÆSUL,
 DOMINE DOMINE GRATIOSE.



Um in antiquissimo juxta, ac celeberrimo SS.
 Udalrici, & Afræ apud Neresheimiensis Monaste-
 rio annus ab instaurata Fundatione sexcentesimus
 sæculari calculo à Te numeratur, & Pompa so-
 lemni tam longi temporis in Divino obsequio fe-
 liciter aded id locorum transacti memoria agitur
 magnificè, de Pirhingiano ego Juris Canonici Compendio circum-
 spexi, non ut utilissima libri hujus evulgatione compendij meis
 studerem, sed ut ejusdem nuncupatione omnem implens Justiti-

EPISTOLA DEDICATORIA.

ſce autem Gratioſe Domine, Antiſtes Ampliſſime; ſi impedi-
ta iſthæ ſcribentis manus Laudes Tuas, & vota mea aſſequi
non potuit: major es, quàm qui unius folij & ſtyli anguſtijs
comprehendi poſſis totus.

Precor ad extremum Immortalem Sæculorum Regem,
ut Rev.^{mam} & Ampl.^{mam} Dominationem Tuam, Sextum à ſe-
cunda Aſceterij Tui dotatione Sæculum Jubilæâ pompâ cele-
brantem, Jubilæum quoque Myſtam, & Præſulem Te nobis
concedat, atque diuturnæ felicitati Religioſiſſimæ Familiæ Tuæ,
celeberrimæ Congregationis Auguſtano - Suevicæ Benedictinæ
ſplendori, ſubditorum Bono, meo ac aliorum ſolatio ſoſpitem
fortunatūque conſervet. Ita precatur Auguſtæ Vindelico-
rum Menſe Auguſto, die Vigefimo primo. Anno,

QvanDo agebat Vr ſeXtVs IVbILæVs
Inſigns Cænobii neresheIMIenſis.

Rev.^{ma} & Ampl.^{ma} Domina-
tionis Tuæ

Adiſſimè

JOANNES CASPARIUS BENCARD.



QUÆSTIO I. PROOEMIALIS.

De Variis Juris Acceptionibus & Divisionibus.

Ius nonnunquam idem dicit, quod Justum, Justum autem potest sumi dupliciter. Primò enim omne, quod legibus, & rectæ rationi conforme est, Justum dicitur, aut legitimum; & Justum, sive Jus taliter acceptum non est objectum specialis virtutis; cum omnis virtus hanc cum legibus & recta ratione conformitatem observet. Secundò sumitur Justum pro eo, quod alteri ex rigorosa Justitiæ obligatione debetur. Quo modo Justum, est objectum specialis & rigorosæ Justitiæ, quæ communiter definitur *constans, & perpetua voluntas ius suum* (sive justum, ac debitum ad æqualitatem) *cuique tribuendi.*

2. Accipitur nonnunquam Jus prout idem est, ac potestas moralis sive facultas à legibus concessa de re aliqua libere disponendi. Juxta quam acceptionem dicitur venditor v.g. Jus suum transferre in emptorem, hæres in Justestatoris succedere, Dominus Jure suo uti &c. Et juxta hanc acceptionem alius dicitur habere Jus Proprietatis, disponendi scil. in proprium commodum: alius habere Jus Jurisdictionis, disponendi scil. in commodum subditorum: alius habere Jus in re, sive reale, quod rem ita respicit, ut, ad quemcunque ea devenerit, semper

transeat cum hoc onere, ut eam persequi possim, apud quemcunque existat: quale est jus Dominij directi, aut utilis, jus servitutis, jus pignoris &c. alius denique Jus ad rem, sive Personale, vi cujus non ipsam rem ex contractu v. g. vel quasi contractu mihi debitam persequi possim, sed personam convenire, quæ mihi ad aliquid præstandum &c. est obligata.

3. Nonnunquam accipitur Jus prout idem dicit, ac locus, ubi judicium exercetur. Ita dicitur aliquis in Jus vocari, in Jus ambulare, in Jure comparere &c. id est ad locum, vel in loco judicij. Nonnunquam prout idem dicit, ac ipsa Judicis sententia. Sic dicitur litigantibus Jus dictum, id est, sententia dicta. Nonnunquam prout idem dicit, ac Jaris scientia. Quomodo sumitur, cum Jus definitur *ars boni & æqui*, vel cum dicitur *Jurisprudencia esse, divinarum atque humanarum rerum notitia, justis atque injustis scientia*, id est, scientia, quæ docet, quid justum & injustum sit, quid ad divinum cultum & res sacras ac profanas, ad Reipublicæ ac hominum bonum spectet. He autem & similes plures acceptiones, quamvis scitu utiles sint, ne quis ex varia Juris acceptione confundatur, potissima tamen est, quæ vel maximè hîc attenditur. Juxta quam